

Hanc igitur illi elegantiam perinde ratus ac nihil Scripturarum Interpretes ille, censuit abjiciendam; nec abs re etiam suspicaremur, Interpretem illum, cum originem Latinam non referret, plus literas Græcas, quam Latinas calluisse. Non sane aliud stabat illi consilium, quam ut integram fide exactèque Textum redderet, quam in rem periodorum artificium, vobis elegantia, eloqui puritas nihil contulisset. Hanc fidelissimi Interpretis ideam noster explevit omnem, & alio quocumque facile perfectus, qui seligendis collocandisque verbis majori religione studisset. Intentus ille verbis verbo reddendis nec ingenium suum elegantiamque commendare cogitavit unquam, quem singularem esse Sacrorum Authorum characterem ceterorumque priorum Latinorum Scripturæ Interpretum constat. Dei verbum præ omni elegantia cultuque elegantius est & comptius. Quid priores illi Græci V.T. Interpretes, quamquam ad auream literarum Græcarum ætatem spectantes, elegantiam ne proinde puritatem sermonis affectarunt? Non arbitror; sed vim illi totam Originalis sui reddere studuerunt.

Sunt qui querant, an Psalterium, cuius est hodie in Officio Ecclesiæ Latine familiaris usus, idem sit ac Apostolicum; quibusque gradibus ad eam authoritatis dignitatem ascenderit, in qua collocat Tridentinum, ipsam eandem Editionem esse insinuans, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesiâ probata est. Quorum interrogationi ut fiat satis, operæ pretium est animadvertisse, S. Hieronymum, cum Romanam venisset circa A. 382. hortatorem habuisse Damasum Pontificem corrigendæ Editionis Latinæ Psalmorum ad fidem Græci Septuaginta, à quo non semel discrepat. Paruit Vir Sanctus, sed tumultuario opere. Licet cursim magna illud ex parte correxi (r). Eo Codice usa primùm Ecclesiâ Romana; deinde ad alias Ecclesias sed minori successu delatus est. Populi enim longo usu antiquæ assueti Versioni Sancti Doctoris correctiones negligebant, ut non multo post tempore totum Opus mendis feateret. Quod quia rursus videtur, scribit ille ad Paulam & Eustochium, Scripturam vitio depravatam, plusquam antiquum errorem, quam novam emendationem valere. Quare à duabus hisce Matronis rogatus, circa A. 384. novam ipse Versionem Latinam, cum Bethleem versaretur, & Textu Septuaginta expressam suscepit. Nihil eo Opere accuratius; namque inter obelum aut verum (r) & duo puncta (:) totum illud clausit, quod in Septuaginta redundabat; ac vicissim quidquid ex Hebræo & Versione Theodotionis addiderat, intra asteriscum (*) & duo puncta complexus est. De editione hæc sua scribit ille ad Sophronium: Quoniam (Septuaginta) translationem diligentissimè emendam olim mea lingua hominibus dedi. Tandem aliquot elapsis annis, eodem Sophronio hortante, totum Psalterium, ex Hebræa veritate exprimendum aggressus

r Hieron. Ep. ad Paulam in capite Psalterii. Vide & Præfat. ad Sophron.

est; experimento enim norat idem Sophronius, sibi cum Judæo quodam disputanti plura Psalmorum testimonia à Septuaginta deducta à Judæo negari, contendente aliter legi in Hebræo. Hanc igitur provinciam aggressus S. Hieronymus ita confecit; quemadmodum hodie etiam apparet in veteribus Mss. & Impressis ejusdem Sancti Doctoris. Altera ab ista Versione censenda est illa, quæ hodie sub Vulgatæ nomine obtinet; multumque ab illa abludivit; quare cum alterutra confundi oportet, sive nempe cum priori Romæ, sive cum altera in Bethleem adornatâ.

Sed & emendatum Romæ Psalterium, diversum esse à Vulgatâ constat; illud enim in eadem Ecclesiâ pluribus sæculis obtinuisse, & modò etiam in Ecclesiâ Vaticana receptum scimus. Legitur etiam in pluribus Impressis & Mss. ut ipso oculorum testimonio diversum esse à Vulgatâ liqueat. Itaque statuendum est, Vulgatam, & Concilii Tridentini definitione probatum Psalterium cum secunda Versione S. Hieronymi confundendum. Scribit quidem vir Sanctus ad Paulam & Eustochium se veterem editionem correxisse, quòd scilicet veteris ejusdem Editionis verba, quantum res patiebatur, servasset. Sed in Epistola ad Suniam & Fretellam idem opus aperte novam Versionem appellat; quòd nempe adeo priorem reformaverat, ut nova jure meritoque dici potuisset, expressâ & Textu Hexaplorum, eâ ætate probatissimo.

Cum tamen maximi ea res momenti habeatur, & opiniones de illa variant plurimum; susus in præsentia discutenda est. Ac in ipso inquirendi limine animadvertendum est, menda quadam in postremam hæc Versionem post S. Hieronymi ætatem lapsu sæculorum irrepisse; unde factum, ut sententiæ ex illa laudatæ cum primæva illa Translatione ab ipso adornatâ non satis congruere deprehendantur. Quod P. Martiæno (r) persuasit, nostram Psalterii Vulgatam aliam planè esse à Veteri Italica, ante S. Hieronymum obtinente, & à nova Translatione Latina ab ipso S. Doctore in Bethleem adornatâ; quippe quæ ex utriusque admixtione confert. Arduum erat equidem & operosum ex hominum manu totam simul abripuisse Scripturam, cui longo sæculorum usu assueverat; quòd autem in ejus generis Opere parùm aliquid reformaretur, pro nihilo habebatur (r). Nobis idem esse Opus fat est; nihilque moramur variantia quadam in Translationibus Scripturæ nunquam evitanda.

Valfridus Strabo disertè asserit, ætate suâ (u) (sæculo decimo) Ecclesiam Romanam Psalterium legisse secundum Septuaginta Interpretes; Galli, & Germani, addit; aliqui secundam emendationem, quam Hieronymus Pater de Septuaginta editione composuit, Psalterium cantant. Subjungit demum, S. Gregorium Turonensem ex Urbe in Gallias contulisse Psalterium à Græco Septuaginta à S. Hieronymo

Epist. inedita ad Meginfrid. & Benonem, apud Mabillon. Disquis. de cursu Gallic. S. 2. pag. 396.

Proleg. in 1. nov. Edit. S. Hieron.

Vide Præfat. ad tom. 4. nov. Edit. S. Hieron.

De Reb. Ecclesiast. c. 25.

mo expressum. En igitur duo Psalteria planè diversa, alterum in usum Ecclesiæ Romanæ, alterum Gallicanæ; utrumque ad normam Septuaginta; sed primum tantummodo emendatum, alterum verò de integro translatum: Quam Hieronymus Pater de Septuaginta Editione composuit.

x Epist. inedita ad Meginfrid. & Benonem, apud Mabillon. Disquis. de cursu Gallic. S. 2. pag. 396.

Berno Abbas Augiensis (x), sæculi undecimi Scriptor, tradit pariter, S. Hieronymum translatum operâ suâ à Græco in Latinum Psalterium Ecclesiæ Galliæ & nonnullis Germaniæ cantandum tradidisse; unde huic Translationi nomen, Psalterium Gallicanum. Romanis verò, addit ille, adhuc ex corrupta Vulgatâ Editione Psalterium canentibus. Porò ipsa eadem est Versio, quam S. Hieronymus jussu Damasi Pontificis reformandam suscepit; in qua deinde successu temporis idem S. Doctor falsus est, Plus antiquum errorem quàm novam emendationem valere. Narrat insuper idem Berno, Romanos Psalmorum cantandorum morem in Gallias invexisse; ex quo factum, ut in Divinis Officiis ex Veteri Vulgatâ Romana quedam in Psalterium Gallicanum irrepserint quæ nec facile distingui possint, addit ille, & eam varietatem ignorantibus non parùm negotii facessant.

Idem planè in nostro Ecclesiastico Officio animadvertere licet; in quo Psalmen exultemus e.g. integer legitur iuxta Psalterium Romanum; quòd scilicet olim Psalms iste velut Hymnus quidam habitus semper cantaretur. Antiphonæ Vesperarum, Matutini, & Laudum maxime in Officiis Sanctorum ex Romano Brevariario desumptis, Introitus Missarum, & potissimum Antiphonæ & Responsoria tridui postremi Hebdomadæ sanctæ, cum Gradualibus & Tractibus eorundem dierum, satis à nostra Vulgatâ discrepant, quòd ex Psalterio Romano, integro 15. sæculorum spatio Romæ obtinente, derivati sint.

Aliud pariter nec minoris momenti idem Berno animadvertit; inde nimirum factum esse, quòd in nonnullis Bibliis Psalms in tres columnas digererentur; quarum primam occupabat Psalterium Gallicanum; alteram Romanum; tertiam Hebræum. Id equidem spectatur in veteribus nonnullis Mss. quorum duo sunt in Abbatiâ S. Petri Carnotensis, & alterum in Bibliotheca Sorbonica. Manuscripta etiam quedam duabus columnis descripta habent Psalterium Romanum & Gallicanum; Hebræo ex Versione S. Hieronymi neglecto. In duplici illo Ms. Carnotensi, prioris columnæ frons titulum præfert: Secundum Hebr. Alterius: Secundum LXX. Tertie; Secundum Græc. Mediæ columnæ titulus: Secundum Septuaginta indicat Vulgatam vel Psalterium Gallicanum cum suis obelis & asteriscis, quos S. Hieronymus adscripserat. Tertie columnæ Textus sine obelis & asteriscis Psalterium Romanum præfert satis consonum Veteri Vulgatæ ante S. Hieronymum obtinenti; idemque Opus, quod S. Doctor Romæ versans infelicis successu correxerat.

In Codice Sorbonico præfixa Psalteriorum columnarum hæc in rem presentem leguntur: Psalterium quod secundum Septuaginta Interpretes in omnibus Ecclesiis cantabatur, Hieronymus correxit; quo iterum vitiatum Psalterium novum composuit, quod à Septuaginta Interpretum editione non multum discordaret, & cum Hebræo multum concordaret. Hoc Psalterium, addit, Damasus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Ecclesiis cantari instituit; & propter hoc Gallicanum vocatur: Romanis Psalterium secundum Septuaginta retinentibus sibi, propter quod Romanum vocatur (y).

Bruno Signienis (z), alio nomine Astenis, qui diem clausit A. 1125. cum Psalterium ex alia Versione quàm Romanâ juvenis adhuc exposuisset; Romani Psalterii deinde Commentarium novum instituit, professus scilicet plures quidem fuisse in prius illud Commentatores, neminem tamen, quem sciret, in Romanum. En igitur duo Psalteria luculenter planèque varia inter se ac distincta. Romanum à Commentatoribus ad id usque intentatum; & alterum, quod varios exercuerat. Quid hoc nisi Psalterium Gallicanum seu Vulgatâ nostræ ætatis, ab omnibus ferè Commentatoribus S. Hieronymo recentioribus, tanquam perspicuum magis & Hebræicæ veritati conformius, illustratum? Cum vicissim Romanum nullum ad id usque natum fuisset Commentatorem, nisi fortè inter ejus Interpretes habeamus Scriptores S. Hieronymo vetustiores, qui in antiquam Vulgatam toto Occidente receptam laborarunt.

His ita se habentibus, facile convincimur, Vulgatam Concilii Tridentini authoritate probatam, tum & in publico Latine Ecclesiæ Officio receptam, alteram planè esse à veteri Vulgatâ five Italica ante S. Hieronymum receptâ, & cum ea denique Translatione confundendam, quam S. Doctor in Bethleem versans precibus Paulæ & Eustochii correxit. Tandem unum idemque cum illa reputandum Psalterium Gallicanum, ante 8. vel 9. sæcula in Ecclesiis ejus provinciæ receptum. Nihil enim certi definire audeamus, quo potissimum tempore Psalterium illud in Gallias cœperit obtinere. Ejus inventi auctorem Gregorium Turonensem statuit Valfridus Strabo, ipsum S. Hieronymum. Berno, Damasum Author annotationis Psalterio Sorbonico præfixæ. Quæ Authorum discrepantiâ & rem esse eâ ætate ambigam, & vetustam adèd, ut originem haberet obscuram, satis demonstrat. R. P. Mabillon (a) post improbatam illorum sententiam, qui inventum in Gallias hoc Psalterium à Gregorio Turonensi autumant, cum ipse ex Veteri Romano Psalterio plerumque laudet testimonia, tandem demonstrat, receptum illud eo temporis intervallo, quod Gregorium Turonensem inter & Valfridum Strabonem continetur; nec alterum facile in eas Provincias, sicut & in Germaniam, detulisse, quàm S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum.

y Apud Martianaum tom. 1. nov. Edit. S. Hieron. p. 1222. z Exposit. Psalter. initio.

a Disquis. de cursu Gallic. S. 12. pag. 297.

Porro S. Bonifacius obiit A. 754. Psalterium Gallicanum vulgatum fuisse constat in Galliis etate Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui in suis Operibus ex Psalmis testimonia, quemadmodum in nostris Bibliis legitur, nunquam non laudat. Antiphonas & Responsoria ex Romana accipit Ecclesia Gallicana sub Pipino Rege & Paulo (b) Pontifice, circa octavi seculi dimidium; ut proinde novum Psalterium novumque Antiphonarum eodem ferme tempore in Galliam venerint. Psalterium Romanum Romæ à Paulo V. suppressum, manet tamen in Ecclesia Vaticana, S. Marci Venetiarum, & discrepans licet aliquanto, in Ecclesia Mediolanensi. His insignibus Ecclesiis exceptis, alibi ubique obtinet Vulgata; quamquam & in Tolerana Ecclesia ritum Mosarabicum retinente recitari Psalterium Romanum fertur.

Si quis roget quid factum sit de Veteri Translatione Latina Psalmorum, Apostolorum etate & in tota Ecclesia Occidentali usque ad S. Hieronymum vulgatâ; respondebimus, 1. Non ita reputandum, quasi ante S. Doctorem unum esset idemque in Ecclesiis Psalterium; aded enim variabant inter se vetera Exemplaria, ut vix duo convenirent; nemine non adiciendi aliquid immutandique in suo Psalterio, quin & vertendi iterum ex Græco, sibi potestatem arrogante (c). Neque enim certa erat constituta Textus regula; quemadmodum ex Scriptis Patrum eandem sententiam variè laudantium satis intelligimus. Ita sæpè Tertullianus, S. Cyprianus, S. Augustinus, Africani omnes in eisdem sententiæ verbis referendis discrepabant. Nec magis constant inter se S. Hilarius, S. Ambrosius, & vetusta Psalteria.

2. Veterem illam Versionem S. Hieronymo vetustiore facile in pristinam integritatem restitui posse credimus ope sententiarum & fragmentorum Patrum, de quibus nos in superioribus, sicut & Psalteriorum veterum, quæ alicubi servantur; ut illius, quo olim usum credunt S. Germanum Episcopum Parisiensem, in ejus Abbacia visendi, argenteis characteribus in membrana purpurea descripti, & Psalteriorum Romanorum, quæ variis temporibus impressa sunt. Nec ita tamen satis certo persuaderemur, manere nobis priscam Versionem aded puram, quemadmodum olim in sua origine sub ipsis Ecclesiæ crepundis; cum statim, ut jam animadvertimus, variari inter se Exemplaria, & novas Translationes inundare contigerit. Adde, Patres memoriâ suggerente quandoque eandem sententias referre; sensus potius quam verba promere; ut proinde post collectam ex eorum Operibus magnam sententiarum struem, genuina Bibliorum lectio vix ac ne vix quidem discernetur.

3. Tandem non immeritò statuendum credimus, sanioem antique Vulgatæ partem manere adhuc in Psalterio Romano, cujus plures suppetunt, sed non satis uniformes, Editiones. Unam adornavit Jaco-

bus Faber Stapulensis A. 1508. in Abbacia S. Germani Pratenfis. Altera Mediolani prodit A. 1555. altera Romæ 1663. nequid illam memorem, quæ in Textu Septuaginta Parisiis 1628. excuso ad Romanæ Editionis normam legitur. Mss. etiam plura supersunt. Porro Exemplaria ista, omnia frequenter discrepant inter se; quemadmodum etiam variare deprehenduntur sententiæ ex eodem Psalterio petita, quas in nostris Antiphonis, & Responsoriis legas. Cujus discriminis in causa fuisse judico Exemplarium discrepantiam, quæ varia erat in variis Ecclesiis. Mediolani etenim aliud legebatur ac Romæ; & post S. Hieronymum erant pariter qui plures, erant qui minori numero ex ejus correctionibus servassent. Hic Vetus Italica Versio ferè intacta, illic minus pura manebat; quemadmodum in Opere, cujus correctio singulis permitteretur, contingere potuisse facile intelligimus. Profectò nisi supremâ & receptâ in Ecclesiâ Catholica authoritate huic malo occursum fuisset, certâ ratâque Vulgatæ Editione constitutâ, hæc lectionum varietas nostras pariter Editiones inundasset.

Cæterum hæc nostra de Psalterio Gallicano sententia sedit pariter Jacobo Fabro Stapulensi in Epist. Dedicat. ad Card. Briconnetum, sapientissimis Editoribus novæ Edit. S. Augustini in Præf. ad tom. 4. R. P. Mabillonio in suo Opere de *Cursu Gallicano*, aliisque pluribus.

D. Pitheus, & D. Ferrandus (d) Vulgatam nostrâ ætatis cum veteri Italica ante S. Hieronymum toto Occidente receptâ componendam censuerunt. Ejus opinionis potissimum argumentum ducit D. Ferrandus ex illis Concilii Tridentini verbis: *Hæc ipsa vetus (est) & Vulgata Editio, qua longo totæ saculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.* Sed hæc à Concilio de universa Scriptura, non de uno tantum Psalterio dicta esse constat. Scitum est tamen, non omnes Sacræ Scripturæ Libros ad veterem illam Vulgatam ante S. Hieronymum notam pertinuisse; cum maximam nostræ Vulgatæ partem ex Translatione S. Doctoris habere nos constet. Quare si Tridentini verba de omnibus aliis simul Scripturæ Libris non convincunt, nullum ex illis certum de Psalterio argumentum deducitur.

Quamquam autem Psalterium Gallicanum ex Interpretum confessione ab omnibus æquè mendis immune habendum non sit; inter omnes tamen optimam esse translationem absque controversiâ positum censo. Recedit illud quidem sæpè ab Hebræo; sed ided quoddam corruptum sit Originale. Quod Versionem hanc suam omnibus numeris absolutam redderet S. Hieronymus, nihil fecit reliqui, ut proinde elogia tam Veterum, quam Recentiorum Opus illud promeruerit. Nec satis mirari possumus Protestantium occupatam præjudicii mentem, qui genio Ecclesiæ Catholice averfandi, invidiam in Vulgatam creare satagunt, passim commendatâ Textus Hebraici lectione, tunc etiam cum cor-

d Pitheus de *Latin. Bib. Interpp.* p. 6. & Ferrand. *Præf. in Psal. 6.* pag. 70. 71.

ruptionis suæ non levem præbet suspicionem. Profectò si Psalterium nostrum cum Hebræo usquequaque non congruit, hujus rei in causa esse potuit; quod non ex Hebræo, sed è Græco Septuaginta fuerit adornatum; ut siquid habeat mendii, & variantium, hæc omnia in Græcos, non in Latinum Interpretem transfundenda sint. Altera recepta est in Ecclesia Latina Versio ex Hebræo; cui eadem Ecclesia plurimum semper detulit. Authorem habuit S. Hieronymum, qui hortante Sophronio insigne Opus suscepit; non canonicum illud quidem, sed exactum aded, ut cæteris possit diligentia & sedulitatis normam præscribere. Cæterum non est, cur invidia in Ecclesiam creetur, quasi scilicet fontibus neglectis rivus tenuerit. Assuetus enim longo usu populus uni Psalterio, vix ac ne vix quidem desuevisset. Nec parvi fuisse negotii credimus ipsum edigere, ut altero abjecto Psalterium Gallicanum reciperet; quamquam aliqui solers ille, & Sapientissimus Interpres phrasas omnes, & voces veteris Translationis ab Apostolis, eorumque Discipulis probatas servare pro viribus studuerit.

ARTICULUS IV.

De Versionibus Syriacis, Arabicis, Ethiopicis, & Paraphrasi Chaldaica.

§. I.

Versio Syriaca.

SUA est apud Syros Versio universæ Scripturæ, quæ vetustissima Orientalium omnium creditur. Prodit illa primum in Polyglottis Parisiensibus, deinde in Anglicanis recusa. Altera est etiam apud eas gentes ex Græco adornata, quamquam non in omnes Scripturæ Libros (e). Prior illa per universam Syriam maximè in usus publicos regnat. Narrant Maronitæ, ex recepta patrum suorum traditione, maximam ejus Operis partem ad Salomonis etatem, alteram verò ad Abgar Regis Edessæ spectare (f). Hiram Rex Tyri amicus Salomonis, inquit illi, Regem Salomonem postulat, ut Syris literarum & characterum usum concedens, adderet pariter Syriacis literis traditos Libros Scripturæ tunc temporis vulgatos, scilicet Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, Libros Samuelis, sive primam, & secundam Regum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, & Job. Post Salomonem adusque Evangelium Versio Syriaca intra eos limites mansit; sed cum Apostoli S. Thadæi prædicatione, quem missum dicunt statim post Ascensionem J. C. ad Christiana sacra transfisset Rex Abgarus, quem novisse dicunt J. C. ante passionem suam, ejus jussu reliquorum Scripturæ Libros

rum Versio Syriaca suscepta est. Sed ea de Versione Syriacâ ab Hiram etate à Salomone, sive aliquo Judæorum Doctore ejusdem Salomonis jussu susceptâ historiola ad fabellas jure meritoque amandatur. Neque meliori fide creduntur ea; quæ de altera Versionis parte ex Abgari etate repetitâ narrant. Fatendum tamen, eam Versionem omnium esse vetustissimam; cum Syriacam quandam Versionem laudent sæpè Patres Græci, veluti S. Chrysostomus, Theodoretus, alique, quorum in Catenis fragmenta servantur. Eam quidem alterum esse Opus à Versione nostrâ etate vulgatâ, Vossius autumavit (g); nec defunt qui Translationem illam à SS. Patribus laudatam Græcam esse ex Syriaco expressam suspicentur. Constat insuper, non semper cum illa congruere quæ in nostris Polyglottis legitur; quamquam, ut verâ fateamur, non satis ex eo demonstratur, duo esse planè diversa Opera; cum rara sint utrinque variantia, & minoris momenti, ut facile ex diversitate Exemplarium, vel etiam ex variâ ratione unam eandemque vocem Græcè reddendi, derivari poterint. Vix etiam credimus, Ecclesias Syriacas tam longam etatem sine ullâ Veteris Testamenti Translatione egisse; neque eâ destitutas ab ipso Ecclesiæ Catholice exordio fuisse persuaderemur, quamquam certum ejus tempus & Author ignoratur.

Contendit insuper Vossius Syriacas hæc Versiones nostrâ etate vulgatas 5. vel 6. retro sæculis vetustiores non esse. Autumat insuper plures fuisse variis temporibus apud Syros, nullamque penes ipsos fuisse unquam receptam & ab omnibus æquè probatam Translationem. Sed Viri docti eâ in re authoritas nullius momenti habenda est, cum & Syriacas literas ignoraverit, nec commercii quicquam cum Scriptoribus ejus gentis haberit (h). Versionem quandam Thomæ Heracleensis, Authoris nomine tantum sibi cogniti, Pocokius Præf. gen. in Job laudat; fatetur tamen vetustiore alteram apud eas gentes obtinuisse (i). Abbas Renaudot tradit (k) hunc Thomam ad Jacobitarum, sive Dioscoritarum sectam pertinuisse, quem tamen Versioni Syriacæ operam navasse, nullo argumento convinci; narrari tantum de illo, in Ægyptum venisse, ibique ad veteres Cœnobii S. Antonii Codices Syriacæ Exemplaria recensuisse, ut ab eâ etate omnes fermè Bibliorum Syriacorum Editiones, maximè Novi Testamenti, ex recensione ejusdem Thomæ constant.

Sermo est etiam apud Marium (l) de Translatione alia Syriacâ, à Theodoro quodam, viro per universam latè Syriam inclyto, adornatâ, quam Ecclesiæ omnes Syriacæ probant retinentque: sed Theodorus iste idem est ac Theodorus Mopsuestenus, qui excellentiæ gratiâ apud Syros Interpres appellatur; Interpres, inquam, non quod Libros Sacros verterit, sed quod Commentario illustraverit, quos quidem à Nestorianis Syriacis literis traditos Liberatus Brev. cap. 10. est author.

D d d Tan.

g Dissert. de Septuag. Interpp. c. 27.

h Vide Addit. ad Biblioth. Sacr. P. L. Long. pag. 659. i Pocok. Præf. gener. in Job ex Dionysio quodam. k Vide Adden. ad Biblioth. Sacr. pag. 659.

l In Proœm. Comment. in Barcepha de Paradiso.

*b *Mabill. lib. 2.*

c *Aug. Epist. 71. Hieronymo, p. 161. n. 6. nov. Edit. Plurimum profuerit, si Græcam Scripturam Latina veritati reddideris; que in diversis Codicibus ita varia est, ut tolerari non possit. Idem de Doctr. Christ. 1. 2. c. 11. Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam vertunt, numerari possunt; Latini autem Interpretes nullo modo.*